

N^o 1^a.

H. BRUNO à CONSTANTYN HUYGENS, père.

24 MAI 1639.

La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.

Nobilissimo Amplissimo Domino, Domino CONSTANTINO HUGENIO
Toparchae in ZULICHEM etc. Domino meo clementissimo S. P. D.

Perillustris Domine,

Quod mihi discedens imperaveras, ut Methodi, quâ in formandis commilitonum studijs utor rationem redderem, in eo et me et fidem meam praestabo; praestitutum haud paulo magis cumulatè, nisi me temporis opprimeret angustia; nunc enim, (et jam octava est et quod excurrit) modo nuntiatur nuntium ante nonam discessurum, facio autem id lubens, tum officij causâ, tum quia a prolixissima humanitate vestrà emendationem exspecto: caeterorum judicia vel aequa vel iniqua juxta aestimans. Primum quidem non fugit Amplitudinem tuam ab octavâ ad usque nonam barbito operam dare filios majores duos: Interea Ludovicus, quid? Ludit. quod aetulae ejus tenellae, lufui, ut sit, impensius dedito, dandum arbitror. Horas institutionis ad hunc dividimus modum. Earum Primam Sleidanus ¹⁾, alteram thema vendicant. Si quid autem ab hoc scripto superfit temporis, Labyrinthos bellus ego Logo-daedalus, ut cum Plauto loquar, non hortorum Cretensum, sed poëticorum, struere soleo: Atque ita versus vel ipsi, aut Bavio, aut Maevio, pudendos, compono, ut ne sub specie bonorum versuum latentes naevi, in Profodiam impingentes, et *qui latet anguis in herba*, primo obtutu se prodant; quae quidem, nisi omninò me fallunt omnes rationes, pia addo utilis, fraus est, maximè quae, bonâ fide agens, *fallere nisi se fel-leris*, identidem inculcet; ne praedictum sibi fortè negent. Caeterum, adeò jam nunc emunctae naris sunt, ut confestim ijs, tamesi ne monuerim quidem dolus suboleat. Itaque Oedipi magni, è vestigid omnes conturbant mihi sphynges meas et ignavum fucos pecus à praesepibus arcant. Et inclusos qui ligno occultantur Achivos, cum fortius, tum etiam feliciori omine quam olim Laocoon ille Tros, denudant. fraude autem demonstrato, ut integritati suae restituant, injungo, quo praxis Profodiae appareat. Thema verò cum Constantinus scribit, ne Christianus, importuna illa crux scabies, studia omninò destruat, cepi rationem, ut ne illâ quidem horâ otium agat. Atque ut Terentium secum repetat, author sum: de quo quid attinet dicere?

¹⁾ Johannes Philipson (= Johannes Sleidanus) naquit en 1506 à Schleiden, près de Cologne, et mourut de la peste à Strasbourg, le 31 octobre 1556. Il étudia à Liège, Cologne et Louvain, voyagea beaucoup et devint professeur en droit à Strasbourg en 1542.

Bruno indique ici son ouvrage:

Breve historiarum memorabilium Epitome, xxix libris contentum. Auct. Joh. Sleidano, dont il y a eu plusieurs éditions.

quem naturae extremus conatus Scaliger ²⁾, et miraculum hominis Erasimus ³⁾, postquam omnium propè scientiarum perlustrassent adijta, nunquam depofuere. Ludovico dum in Sleidano agimus, thema praefcribo. Horâ autem decimâ Terentium ei explico. Undecimâ verò non continuò quâ data porta ruunt, sed dum Philippum ego, Constantinus Ludovicum, instituit in Muscis. Tum Arithmeticae dant operam. hinc in ducendis nitidè litteris occupantur. Christianus, qui jam neutrum agere, ob manuum impotentiam potest, Musicam utramque excolit; id quod Constantinus à prandio ante tertiam facit. Eâ auditâ, Ludovicus Grammaticam repetit. Nos in ingeniosissimi poetarum Tristibus versamur, majore mediis fidius voluptate, quam ille scripsit. Rhetoricae Compendium aggrediemur propediem, in quo, id quod iussisti, tropos dumtaxat, et schemata observabimus et ipsum compendium sive sceleton potius, circumeidemus. Nunc interim Themata scribunt. Horâ quintâ ubi Philippum docui, vel deambulationi, si coelum invitet, vel poësi si Musae arrideant, indulgent. alias Aurorae, vel quocumque demum extrâ horas institutionis tempore, Deo illo, qui in eis est agitante, incaluerint, Parnassò bicipiti litamus. Sed moror te nimis et in publica commoda pecco, Cum tot sustineas et tanta negotia solus. Deus Optimus Maximus Amplitudinem tuam patriaeque tuisque quam diutissime incolumem conservet. Vale nobilissime Domine, atque ignosce lituris, humillime salutat[us]

ab Amplitudinis tuae cliente devotissimo
HENRICO BRUNONE.

Hagae Comitiss
ex aedibus Amplitudinis tuae,
VIII Kal. Junias CIOIEXXXIX.

Aen Mijn Heer Mijn Heer CONSTANTIN HUYGENS
heer tot ZUILICHEM, etc. ⁴⁾

²⁾ Joseph Justus Scaliger, fils du médecin Julius Caesar Scaliger et de Andrietta de Roques Lobieca, naquit le 5 août 1540 à Agen (Guyenne) et mourut à Leiden le 21 janvier 1609. Helleniste le plus fameux de son époque, il avait été appelé à Leiden en 1590 comme professeur exempt de fonctions obligatoires. Il nous a laissé, outre plusieurs ouvrages philologiques, un traité: *Cyclometrica Elementa*, qui fut réfuté entre autres par Ludolf van Ceulen.
³⁾ Desiderius Erasmus, né à Rotterdam le 21 octobre 1467(?), mourut le 12 juillet 1536 à Bâle.
⁴⁾ Constantyn Huygens, père, était parti en voyage pour Buren avec le Prince Frederik Hendrik [Dagboek].

N^o I^b.

H. BRUNO à CONSTANTYN HUYGENS, père ¹⁾.

II JUIN 1639.

La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.

Magnifico, Nobilissimo Domino DOMINO CONSTANTINO HUGENIO,
Toparchae in Zuilichem etc. Domino in aeternum honorando, S. P. D.

Quod conatus qualescunque mei, cui maxime optavi, et studii, tibi probentur, non possum non triumphare ferid, virorum maxime; Cessit profectò haec res nimis quam feliciter, supra aded votum, praeter expectationem: Imperita, infantiaeque suae, et sui conscia mens, praeclarè secum actum iri sciebat, si atrum carbonem effugisset, nec tremebat minus, quam olim Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram, cum ineptias secum suas sistendas esse nosset supremo omnis eruditionis antistiti, dictatori, omnis subacti, sagacissimi judicij compendio, coagulo: cui et primo et soli datum Deo proximum ac cognatum illud *Nihil ignorare*. id itaque (num parva ratio est?) glorior, id impensè gaudeo, et audio garrere denudè, vir incomparabilis, quasi nuper aures parum fatigarim: tinnunt eae, ac dolent etiam nunc procul dubio, sed ita ignoscas, illustris domine, ut ipse onus illud tibi imposuisti, cum nugigerulas meas in singulas septimanas duas flagitares, simul, ut singuli in singulis proficiant filioi facerem certiorum. Brevis responso, *Quam optimè*. Nec adeo ventosus sum ut quicquam mihi, nec aded aut invidus, aut malignus, ut non omnia illis hic vendicem. Constantinum maxumè loquor, qui haud ita pridem dixit, profiteri Patrem verba sibi ad laudes suas tandem defutura, at mihi, verbo dicam, verba jam nunc defunt. In poësi quidem, à quâ non omnino alienum me antè persuaferam mihi stolidus, certè ejus amatorem me etiamnunc maximum profiteor, dudum elinguem fecit. Damno jam pridem, damno, quicquid unquam anilium, veterosarum, febriculosarum, insularum, (nihil satis contumeliosè aut acerbe dici potest) nugarum serio nugatus fui, ac magno conatu peperci. Pudet, pudet, sustulisse tot abortus informes, qui cum vel sibi ipsis displicere possent, tamen placuerunt aliquando mihi, licet soli, nisi forte uni, item et alteri, quibus mecum insanire libuit. Non sivit ultra me furere hunc furorem Constantinus.

Neque posteriores Christianus laturus videretur, siquidem ingenij promptitudini, et ad quidvis audendum versatili, atque expedito animo, manus responderent. Cui, ut omnino alienus est a vulgo poetastrorum, ita plane diversum, quid scabie sua evenit, quam scabiosae isti verficatorum faeci exactè olim (absit verbo assentatio, quam nec didicit, nec fert, Batavus) et ad vivum suis coloribus ab amplitudine vestra expressae, Ille quippe ingeniosè se digna nequit meditata sic haud periturae mandare chartae, haec faeda colluvies, haec carcinomata poeticae dignitatis, nugamenta ho-

¹⁾ Constantyn Huygens, père, se trouvait à l'armée dans l'île de Voorne, depuis le 26 mai [Dagboek].

minum, fabulae, somnia, quibus fatalis illa conscribendi prurigo, putidum et sine cerebro caput, semper titillans, semper inerrat miseram manum adeo fatigant, impromptu adeo protrudunt, praecipitant, ut mentem haec semper anticipet, praecipuet. facer, atque epidemicus hoc faeculo, scripturire, quam parturire, versuque Leotrepheide, quod dicitur, ac Thaumantide, imo pumice macilentiores, aridioresque cudere, praepotante, morbus Chiragra est: vitam chartaceam nemo non optat: neque Pol capitis periculo comprimere sibi possit istas manus: adeo ut prope adit cum sub onere librorum fathiscet ac dehiscet Terra parens, atque in se ipsa residet. At tamen amabilem hanc insaniam pauci in se agnoscunt, omnes amant. Qui quidem id unum, etiam atque etiam, magno conatu adnixi, videntur agere, ut ne forte parum nugas agant, ac deridendos se cordatioribus qui habent salem, propinent. illi ergo tametsi sapientes eos sibilent, sibi tamen bona fide plaudunt. et stulti furfuris vulgi captant, favore dico vani popelli et fluctu magis mobilis elati, attoniti, auraque tumidi feruntur inani. Neque sentiunt stipites, id demum rejiciendum, quod ab hoc maxime summo studio laudatur, praedicaturque. Interim enimvero quam pulchrum est digito monstrari, et dici hic est! Nemp hoc erat, scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter! Quoties mihi splenem movit, ac Democritum fecit, delirium hoc faeculi, in quo servile, venale imo commune nomen Poëta est? Noster Hercules, Apollo, tuam fidem! quicquid esurit hodie, maximè quicquid sitit, quicquid patriâ abligurrierit unquam bona, quicquid strenuè pergracando rem decoxerit, projectum est ad audendum aliquid infani, liquidi, fluidi, ac vinosi carminis, quodque non fontem illum caballinum, sed flumen Bacchicum, redoleat, quo profecto haud paulo magis cerebrum proluisse arbitror, quam unquam Castalio illo labra olim illi veri, et Principes poetarum. Itaque ergo repente sacri, vere sacri vates proderint, et protrudant aliquid, quod liquet mihi dejerare, nihil poëtae habet, nihil poëmatas, nisi titulum, nomen, formam, stylum. Quamquam hic imperito facile imponeret, quia (id quod Horatium aliosque Satiricos affectasse de industria notant Critici) versus salebrosi, rancidique, ac duri, scaesurâ carentes, facillè se pro Profâ vel Hermaphrodito quodam potius, ex utroque conflato, probent.

O aurea carmina scribis, maxime Lolli!

Sed Deus bone quam multis nominibus tui, Perillustri Domine, filii ab his qui numerus duntaxat sunt et fruges nati consumere, maximè spumantem docti haurire pateram, discrepant? pueruli (aetate pueruli tenus) ingenio erecto, excitato, et liceat per modestiam vestram verum hic dicere, plane paterno breviter eâ sunt fortunâ ut mendicabula versuum dare nequam opus habeant, ea naturâ, ea elegantia ut nugas nec velint, nec possint. faciunt haec eo ut compellare confidentius tuam humanitatem non erubescam, de re quam sum dicturus. Disputationem molior Theologicam, cui, si vericulos aliquot uterque adjiceret, nihil est quod malim, neque dici potest, quanto honore, nec injuriâ, me putarem affectum. Curârem addi a Typographo utriusque aetatem, quo majori sit admirationi illud nobile par vatum, Clario puerilia quantum vel juvenes deceat, pectora plena Deo. Veniam aut inter-

dictum liceat expectare. Verum quo me abripit ac transversum agit haec loquacitas? nempe dum poetastros illos tantopere exagitavi, me ipsum magnae cum ijs affinitatis arguo, quippe qui commune hoc cum eis ipsis habeam, ut loqui incipiam rabula, tanquam nunquam desistendum sit; Tandem anhelò ad alia, et tu, nullus dubito, ad finem. In Rethoricis etiam aded pulchre se habent principia, ut planè illud de se vel nunc promittant *in utrumque paratus*, feci autem ac facio quod iussisti, ordinemque qualem praescripseras, etiam mihi semper prae caeteris probatum, sequor, nec enim unquam placere potuit vaga mens, quae statim vela pandit in ignotum aequor, nusquam est qui ubique est: *hoc agendum*, tramite certo carpere callem oportet, et circumcidenda lascivientia nimium, ac fervida ingenia, quae brevem corporis Anatomen ac Synopsin fastidientia, per singula libero pede discurrunt, adeo ut omnia ignorent: contra profectò naturam, quae a generalioribus ad specialia progreditur. Quia vero sine Graecis haec sacra non constant, et schemata graecis elementis expressa sunt, literas praelibavimus, ne in Lectione ulla Remora injiceretur. Praxin Rhetoricam in Ovidio designamus: cujus Librum Tristium V. propediem absolvemus: Sleidanum jam absolvimus; Idibus Junijs curâ secundâ accuratori, inchoandum, nisi fortè aliud quicquam praeceperis. Themata quod atriner, cepi consilium, non omnino nisi fallor, insulsam, ut dum ijs occupantur, simul nomenclaturam rerum praecipuarum addiscant, et ianua quaedam facilis pateat ad Latinae Linguae solidam cognitionem, animadvertendam enim laborare eos ut plurimum in rebus per apta vocabula designandis. sequor hic institutum hominis alicujus Germani, Joh. A. Comenij *) hujusmodi autem thematum **) unum hic exhibemus:

„Incendium ex quavis scintillâ, si permittis, oritur. Nam quicquid ignem concipit, id primum gliscit, deinde ardet: tum flagrat et flammatur, postremum crematum redigitur in faxillas et cineres. Lignum ardens Torris appellatur, extinctum Titio, particula ejus Carbo; et quamdiu candet, Pruna: fumus ardens, flamma est: camino adhaerens, fuligo.”

In musicis ut proficiant judicium ferre nequeo, neque ausim, ne mihi continè quis illud ne futor ultra crepidam. Quantum tamen audio Christiano hic palma defertur, credo quia Musicae vocalis prae Constantino peritus est: ille autem, si cum bene novi, à tergo sese reliquit non feret, nec longe sequetur fratris vestigia, sed calcem calce premer, et jam premit.

*) Johann Amos Comenius nait en Moravie le 28 mars 1592 et mourut à Amsterdam le 18 novembre 1671. Il fut instituteur à Fulneck, où les Espagnols lui volèrent tous ses livres et manuscrits, lors de la prise de la ville. Il se rendit à Lissa, où il jouit d'une grande renommée, et voyagea beaucoup. Un incendie lui fit perdre de nouveau sa bibliothèque et ses manuscrits. Il nous a laissé plusieurs ouvrages, dont Bruno désigne le suivant:

1. A. Comenii Ianua Linguarum Referata avrea, hoc est, Compendiosa Latinae (et quamlibet aliam) Linguam, vna cum scientiarum, artiumque omnium fundamentis, perdiscendi Methodus, sub Titulis centum, periodis mille comprehensa. Genevae, sumptibus Joannis de Tornes, Genevensis Reipublicae & Academiae Typographi. M.DC.XXXVII. in-12°.

3) Le passage cité se trouve à la page 6, N°. 44—47, sous le titre: V. de igne.

Ludovicus in Terentij Eunucho mecum versatur, quem jam penè absolvimus: et jam tertius paulo themata scribit; In Grammaticam impingit fati raro: quid? quod heri nullum vicium animadverterim, unico excepto levioris momenti, quod quidem malè pereat, cum per id unum steterit quominus meritis *Doctor* vocaretur.

Restat ut de horum parte prima Philippo aliquid dicamus. Proficit ut pueruli tales solent, sic tenuiter; bona tamen me spes habet, eum omnia simul percepturum, itidem ut de magno Erasmo aliquando audivisse recordor, quem ad XII. aetatis annum neque natate, neque literarum elementa, nedum litteras novisse affirmabatur: Non credo inquires, nec ego; sed id uterque nostrum credit, quemadmodum aetatem fluere, non sentimus, fluxisse experimur, et vixisse, non vivere animadvertimus, ita etiam didicisse non discere unusquisque se videt, videbit et Philippus. Sed omnino oblitus videor, quis, cui, quid, quousque fabuler. Da veniam Perillustri Domine, et vale:

Amplitudinis tuae humillimus cliens
HENRICUS BRUNO.

Hagae-Com. ex Museo nostro

III Idus JUN MDCCCXXXIX.

N^o 1^c.

H. BRUNO à CONSTANTYN HUYGENS, père.

II JUILLET 1639.

La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.

Per-illustri Domino DOMINO CONSTANTINO HUGENIO,
Domino meo elementissimo S. P. D.

Sententiam Domini Herlerfegij¹⁾, doctissimi undequaque viri, et, quod hic palmarium, in erudiendâ juventute dexterrimi, exercitatissimi, aperitem, Nobilissime Domine; nisi et ab utroque filio, et eo ipso, luculenter scirem praestitum, adèd ut non semel actum agere jure viderer. Judicium suum cum primis judiciosum, quam cumulatè cum hic, tum saepè alias probârît, dicerem sanè, si aut ego digne scirem dicere, aut tu Amplissime Domine nescire posses, et ille frivolas deprædicationes meas non infinite superâsset. Nisi operam, ut cum ratione insanirem, darem, si calculus hic auderem interponere, aut vel niger ullius momenti, vel niveus pretij esset, unum tacere nequirem, rationi ejus *omnimodis me subscribere*. restat ut et Nobilitati Vestrae placitum suum placeat indicare: cujus jam vocem, id est leges, avidissime nobilissimi filioi, ego et avidissime, et humillimè, expectamus. Interim quod jussêras et res monet ipsa, sit sedulo. repetimus Sleidanum. Profodiae nuper supremum vale diximus, quod expeditis fati in recitandis regalîs, ac usu caetera jurgique

¹⁾ Nous n'avons pu recueillir aucun renseignement au sujet de ce Herlersigius, probablement, il était précepteur à l'école latine de la Haye.

exercitatione comparanda, cum omni, ni fallor, republicâ litterariâ, existimarem. Constantinus quidem, nunquam sine stupore nominandus, acutum heri, atque adèd, penè dixerim ex tempore, in Alexandri magni mortem, distichon composuit, quod sic habet.

Hic jacet ille ingens (hospes confite) Monarcha,

Exceptis fati singula qui domuit.

Ait plura se additurum, atque ubi perfecerit, Nobilitati Vestrae missurum. Etiam ego tum subito furore, sed furore, incitatus, nonnulla in eundem conscribillavi, verum nec oculis tuis digna, nec auribus, sed Vulcano confestim mandanda. Rhetoricam jam semel levi brachio percurrimus, curâ secundâ accuratiore curiosius curandam, cujus usum, cum exemplis varijs, tum lectione poëtarum, ac oratorum, largius percipiemus. In Musicis adèd proficiunt strenuè, ut jam omnibus admirationi sint. Neutri hic nunc plus adscribitur, pares sunt ingenio, pares studio, pares laudibus, par, et duplex gloria maximi parentis; Animus meus suspensus, faucibus utriusque amore, utrumque inter, et utriusque amorem, versatur dubius, negatque scire, uter sit prior altero duorum, cum par, nec prior altero sit alter, nec par, aut prior, altero sit usquam. Ludovicus themata Latinus scriber solito, in Adelphis procedit non oçitanter; proficit sic fati feliciter. Philippus frigidè, sed quid? puerulus est, olim caeteris nihil conceder. Disputatio mea (quam quod non abrueris Vestrae Nobilitati habeo gratiam) differenda est: quippe ob occupationum segetem, simul quia Synodus Lugduni Batavorum habetur²⁾, (in quâ et ipse suas obit partes) negat se vacare mihi posse Dominus Regens³⁾ Praefes meus⁴⁾, ante ferias Caniculares. Vale Amplissime virorum, Domine aeternum observande, submissè veneratus

Ab Amplitudinis tuae cliente devotissimo

HENRICO BRUNONE.

Hagae v Idus Ivlias MDCCCXXXIX.

Per-illustri viro CONSTANTINO HUGENIO, Equiti, Zulichemi
Domino, celsissimo Auriaco principi a consilijs et secretis. ⁵⁾

²⁾ Le Synode provincial se tint à Leiden, du 3 au 22 juillet 1639, dans la salle des cours de droit à l'université.

³⁾ Festus Hommius, fils de Homme Homminga, naquit le 10 février 1576 à Jelsum en Frise et mourut à Leiden en 1642. Il épousa en 1599 Johanna Kuchlinus, puis en 1635 Hester Hervebeck; il fut pasteur et vint comme tel en 1602 à Leiden, où il prit part aux controverses religieuses, et défendit les opinions de Gomarus. Il travailla à la traduction du Nouveau Testament décrétée par le Synode de Dordrecht. De 1619 à 1641 il fut Régent du Staten-Collegie (maison des boursiers de l'état) à Leiden.

⁴⁾ Henricus Bruno était disciple du Staten-Collegie, où il fut inscrit comme „Alumnus Philosophi.” le 31 janvier 1635. Il était né en 1621 à Edam.

⁵⁾ Constantyn Huygens, père, était alors à l'armée qui se tenait sur les bouches de la Meuse. [Dagboek].

N^o 1^d.

H. BRUNO à CONSTANTYN HUYGENS, père.

25 AOÛT 1639.

*La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.*Illustrissimo viro, Domino CONSTANTINO HUGENIO, S. P. D.
HENRICUS BRUNO.

Vir illustris,

Diutius quam oportuit, certe quam expedit, domi relictiſ Musis, peregrinati, hodie cum ijs demum in gratiam redijmus: Quicquid autem jacturae factum, quod profectò non-nihil est, diligentia majori refarciendum erit. reipſa enim, Quam nihil cessandum sit tenellioribus istis ingenijs, experimur: Culpa omnis, cujus omnino expertem me profiteor, in Amplissimam Amplissimorum virorum, quae frustra perspectè obnitentes detinuit, humanitatem, derivanda est. Dominus van Baerle ¹⁾, qui- que in aedibus Schonckij ²⁾ nobiscum prandium sumit, Clarissimus Barlaeus ³⁾, tum autem maximè, maximus Heinsius ⁴⁾, incredibile quantopere trigam istam Nobilissimorum fratrum Belgarum admirati fuerint, atque amplexati. De Novo autem Heinsij testamento ⁵⁾ ut inquiram nihil necesse est: ipse mihi in prandio filius ⁶⁾ dixit, jam prodissè. Pater verò, scribendum sibi necessàriò ad Amplitudinem Vestram sed occasionem hæcenus desiderasse, quod quòd perferendae forent litterae, ob crebram cas- trorum mutationis mutationem, atque continua itinera ignorare. Cui ego tutissimè ad me mitri eas posse, ut per nuntios frequenter huc commeantes, eurentur, respondi:

¹⁾ Lambert van Baerle, fils de Caspar van Baerle recteur à Zalt-Bommel, naquit dans cette ville en 1595 et mourut à Leiden, le 22 octobre 1641. Successivement chapelain de l'ambassade de leurs Hautes Puissances à Paris et sous-recteur de l'école latine à Amsterdam, il devint en 1641 professeur de grec à Leiden.

²⁾ Daniel Schonck était Seigneur de Klein-Poelgeest à Koudekerk, près de Leiden.

³⁾ Caspar Barlaeus, frère aimé de Lambert van Baerle, naquit à Anvers le 12 février 1584 et mourut à Amsterdam le 14 janvier 1648; en 1617 il fut nommé professeur de logique à Leiden. Destitué de ce poste comme Arminien, il alla, en 1619, étudier la médecine à Francfort et à Caen, puis revint à Leiden. En 1631 il se fixa à Amsterdam, comme professeur de philosophie. Il est auteur de poésies latines et hollandaises.

⁴⁾ Daniel Heinsius, fils de Nikolaas Heins et d'Elisabeth Houweel, naquit le 9 juin 1580 à Gand, et mourut à Leiden le 25 février 1655; il avait épousé Ermgard Rutgers. En 1603 il fut nommé à Leiden professeur de poésie, en 1605 de grec et de politique, en 1612 d'histoire. Célèbre poète latin, il était en relation avec un grand nombre de savants de toute l'Europe, mais comptait aussi beaucoup d'ennemis, et prit part à mainte guerre littéraire.

⁵⁾ Danielis Heinsii Sacrarum Exercitationum ad Novum Testamentum Libri xx. In quibus Contextus Sacri illustratur. SS. Patrum aliorumque sententiae examinantur, Interpretationes denique antiquae aliaeque ad eum expenduntur. Quibus Aristarchus Sacer, emendator nec paulo auctior, Indiceſque aliquot vberimè accedunt. Lvgdvni Batavorum. Ex Officinâ Elſeviriorum. MDCCCXXXIX. in-folio.

⁶⁾ Nikolaas Heinsius. Voir la Lettre N^o. 278, note 6.

probato ille consilio, propediem se scripturum recepit. Interim juxta filium, Barlaeumque, prolixissimam Amplitudini Vestrae salutem dici suis verbis voluit.

Grammaticam novissimis tuis Nobilissime Domine accepi. quaeque adjuncti mandata faedulo executurus percepi. totus nunc sum, quantum temporis quotidianis curis suffurari licet, in describendis, quod jusseras, Anomalis. Vostij novissimae editionis, et limatissimae Grammaticam ⁷⁾ comparavi. Caeterum quid ais obsecro, virorum maxime? Egone ut Θ nigrum ⁸⁾ fixerim immortalibus tuis scriptis? Deus avertat ut hoc mihi unquam in mentem. nunquam non, (testis mihi verax Deus) aeterna tua monumenta, etiam lusus, admiratus fui: quod unum *ἀναδάνατα* amplissimi nominis tui merita mihi atque orbi adeò universo, reliquum fecere. Tu, quae ex personâ nasutolorum dixi solo excipies contemptu, qui jamdudum supra mortalium conditionem virtute tua evectus es; Sicut enim culices et id genus infecta vestiem plerumque hominum laedunt, non ipsos, ita profectò sancta, et famae sacra nomina, exiles alulei ludunt, non laedunt, tangunt, non pertingunt, non penetrant. Herculem, ut nôsti, ferunt, aliquando placide dormientem à Pijgmaeis somno excussim, atque circumventum, nulla cum doloris significatione secum tulisse omnes, et pro pulce habuisse. Idem et mihi si nuger, et omnibus malae curiosulis. Larvae umbratiles fumus; Huygenios, Heinsios, si Dis placet, stringamus, videbunt illi, ut strepitum hunc et tinnitum probè ulciscantur, tacebunt, nos interim cachinnos eis perpetuos debemus. In Brunone eruditionem qui requireret aut judicium, nae frustra- bitur, qui candorem optimum aetatis nostrae condimentum, profectò habebit, sed longâ purgatione nihil opus est, ne de facilitate tuâ videar dubitasse. Ad alia accingor, ne te morer. Constantinus jam De Daedalo carmen adornat, quod alius affurgit evolatque, et quod magis quàm illud de Actaeone mirere! hoc absoluto, Epigramma in Trojae meditabitur excidium; Christianus tardius eum, ac vix et ne vix quidem, insequitur; sed in Musica utraque superat: in thematibus subinde par, in Arithmeticis non minor, in historicis non parum concedit. Accuratus longè ad me docentem attendit, et Justini verba haud paulò tenacius memoriae insiguit Constantinus. In autore nostro eadem quam dixi antè, methodo usi, ad librum iv. progressi sumus, Virgilianae Eclogarum 1. Analijſin Rhetoricam ad umbilicum perduximus 2. hodie aggredimur. Doctrinae de Anomalis si vel praemitamus vel subjungamus lectionem Belli Grammaticalis, non omnino abs re fore putem, quod ludendo et ridendo, multa quae isthice quasi aliud agendo id unum tamen agens affig-

⁷⁾ Latina Grammatica. Ex decreto Illustr. DD. Holl. West-Frisiaeque Ordinum, in usum Scholarum adornata, multis quidem in locis Lud. Lithocomi verbis, quibus Scholae adfuerant, reservatis: sed erroribus, quibus scatebat, emendatis; inutilibus reſectis; pluribus, quae defuerant, suppletis; & omnibus meliori ordine dispositis. Studio atque Opera Gerardj Ioannis Vostij. Editio altera, aliquot in locis castigatior priori; notis verò longè auctior. Lvgdvni Batavorum. Ex Officinâ Bonaventurae & Abrahami Elzevir. Academiae Typograph. MDCCCXXXIX. in-8^o.

⁸⁾ Ces mots de Persius signifient: la mort ($\Theta = \thetaάρατος$).

nat author, inusitata obsoletaque cum voluptate acuti puelli percepturi videantur. neque inconsultum existimaverim, si thema nonnunquam ex Sulpicio Severo eis praescripsero, quo Sacrae Historiae cuius aeternum apud Justinum silentium est, saltem Sciagraphiam habeant. Ludovicus ad Phormionem brevi accedet. themata cum laude componit. De Philippo scribere quicquam operae non est pretium, et ut liberè dicam, taedet me jamdudum docendo nihil docere, et discendo nihil discen-tem; imo potius dediscen-tem: Non nisi invitus ad me accedit, et ut coacta virtus nomen amicitiae suum, sic etiam studia invita fructum. Vitium illud nimiae prolixitatis optime et jure in me ab Amplitudine Vestra notatum, jam pridem correxissim, si tam facile emendare possem, quam semper in me nolens, volens, agnovi et fovi; ita ut ambitio-fuli mortales vitijs nostris libenter ignoscimus, et naevos nostros frequentius multo amamus, quam detestamur, averfamurque. Interim quod mones, humanissime viro-rum admittor sedulo, et nonnihil jam res videtur processisse, quod de laxandis stu-dentium animis scribis, cum praelegerem, alacrius quam vellem, exceperem. solvendi aliquando sed non dissolvendi sunt, laxandi, non nimis relaxandi. Et ne quid dissimi-lem, saepius, et antè et nunc imprimis, me ad prodeambulationes sollicitam, quam aut meam, aut eorum causam, expediat. fit hoc quia ingentem aliquam ex chartis istis, quas vocant volatilibus, capiunt voluptatem. nunquam abnuerem, si horae foret, aut alterius negotium; sed quia in tres quatuorve protrahunt et saepissime circa haec occupantur relictijs ferijs, invitum me nonnunquam tergiversari, non invitum fateor. Quippe et Poësi et Arithmeticae alijsque necessarijs exercitijs hoc pacto non parvae fraudi sunt. Denique cur negem? si nunquam negem, non video quidnam mihi temporis superfit ut ipse paulum studeam. quo promptior ad Historias, Geographi-aeque assignanda et quaestiones (quibus creberrimus est, et scetet omnino Constantinus) explicandas accedam. At vero ter minimum, aut bis, sino eos furere istum furorem singulis hebdomadis. si quid hic pecco, tuus Vir Optime praestantissime, peccati perstringendi labor erit, meus confestim corrigendi. Bene Vale, et vive diu, famam immortalis domine, cuius ut vita nunquam finita erit, ita mortalitas ut serò finita sit, cum Bataviâ tuâ opto; et Deum Optimum Maximum humillime precor

tuus humillimus cliens

HENRICUS BRUNO.

Dabam Hagae Com.

vii Cal. Septembr. 1639.

Mijn Heere, Mijn Heer VAN ZULLICHEM etc.

Int

Leger. 2)

2) Constantyn Huygens, père, se trouvait alors à Meurs [Dagboek].

N^o 1^e.

H. BRUNO à [CONSTANTYN HUYGENS, père]. 1)

8 SEPTEMBRE 1639.

La lettre se trouve à Leiden, coll. Huygens.

Magnifico Domino meo,

Domino CONSTANTINO HUGENIO Equiti etc. S. P. D.

Quam mihi rescribendam nuper praescripseras, Anomaliam nominis, singulis descripti, illustris Domine. Tertium nunc diem in hisce legendis, relegendis, nec exiguam partem ediscendis, cum limatissimo denique Vossio comparandis, meo ductu occupantur. Quae ubi semel, iterumque cum cura perlustrata erunt, alijs facilè et tute, studijs bonas horas concedent; modo binae sibi, aut omnino ternae, hebdo-madam horae relinquuntur. Profodiam etiam nunc, post tot repetitiones, leviter per-currendam, hisce diebus necessum esse animadverti; verum id, ut necessarium, ita perutile, bidium solum, vel tridium, negotium fuit. Rhetoricam Analysin ad V nunc Eclogam perduximus. Atque ex IV hisce Eclogis, aliquam jam Troporum juxta ac schematum notitiam nobilissimi commilitones sibi peperere: Eam certè, ut magis haud paulo temporis solius primae, quam trium deinceps consequentium, Analyses poposcerint: Plurima quippe quae saepe, ut fit, recurrunt jam ex primâ cognove-rant. De Poësi equidem Constantinum (adolescens quem profecto difficillimum est laudare, quia, ut merito laudari debet semper ita satis nunquam potest) non depraedico; neque quid dicerem, aut quomodo, nisi plus longe tacerem, non me Her-cule excogito: Prope adest cum solâ eum aetate anteibo, pluresque annos duntaxat numerabo et hiemes exactos. Nemo, nisi ipse, dicere eum queat: loquatur ipse, loqua-tur ejus de Daedalo carmen, erectum Musae atque elegans; loquetur propediem, hoc etiam elegantius de Trojae excidio epigramma. Christianulo autem meo, quid infortunij acciderit, quae eum mala crux agitet, equidem assequi nequeo. Non deest ei ingenium, quid ingenium? si maxime non tam promptum, expeditumque ac illud Constantini, at sanè non minus; nec desunt auxilia tijronibus serè requisita, nec mea deest, sicubi opus, in quantitibus designandis, opera; non desunt crebrae exhortationes, monita, nec fratris denique quod generosum animum stimulet, deest exemplum, interim, nescio quo fato, ne unum quidem, ut, ut, summopere adnixus, ver-siculum exsudare potest. Quid ego hic? non urgeo, non obundo, non molestus sum; cogere enim ingenios ut inhumanum, sic ad carmina propellere, et versus extorquere velle, id vero non insanum minus quam Tijrannicum puto. Si quid est, quo calcar ipsi majus addi queat, quaevo famulum me tuum, ad omnia paratissimum, tuo ne dedigneris imperio: Tuo consilio meae subveni infantiae, atque ruditati, Virorum Maxime cuius incomparabile judicium pariter, et eruditionem supra mortales, prius

1) Constantyn Huygens, père, se trouvait alors à l'armée, à Vianen [Dagboek].

defessi sunt homines laudando (usurpabo illud Sallustij ad Caesarem) quam ipse gloria digna, omni praedicatione, literis, monumentisque decoranda, faciundo. Bene vale, Vir Illustris, ut valeant optimè omnes boni; et

Virtutibus, famaeque Amplitudinis Vestrae
Devotus

Hagae-Com.

HENRICUS M. FIL. BRUNO.

vi Idus Septembr. CIOICXXXIX.

N^o 1^r.

H. BRUNO à [CONSTANTYN HUYGENS, père].

15 MARS 1640.

La pièce se trouve à Leyden, coll. Huygens.

Agi Caeptum.

- I. In Terentio vi. Idus. Novembris Anni CIOICXXXVIII.
Cui bis absoluto finem xv. Kal. Februarii. CIOICXXXIX imposuimus.
